Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quod aquila cingulum exultationis expressit. Theodocio ipsum uerbum hebraicum
PHITIGIL posuit. Quod genus ornamenti mulieris est fascia pectus tegens et eum
possidet locum in feminis quem rationale in pontificibus. De hac fascia pecto
rali et hieremias mistico sermone dicebat. Si obliuisci potest sponsa ornatus
sui aut uirgo fasciae pectoralis suae et ego obliuiscar tui dicit dominus. Virgo qua
lem exhibere nos cupit apostolus Christo quamdiu non corrumpitur in egypto nec
franguntur mamillae eius quae pectorali fascia colligatae sunt iungetur sponso
et cum cottidie uirtutum filios generet nequaquam uirgo esse desistit. Quod si aliquan
do diuaricauerit pedes omni transeunti et secuta fuerit amatores su
os et iuxta osee uaticinium saepserit dominus uias eius et inclauserit semitas
reuertetur ad uirum suum priorem et audiet: exuere uestimentis luctus et in
duere uestibus gloriae tuae. Pulcherrimi quoque uiri tui gladio cadent et for ss
tes tui in praelio. Pro pulcherrimis uiris LXX interpretati sunt et filius tuus
pulcherrimus quem diligis gladio cadet. Quod si de animae statu in
tellegimus quae post uirtutes peccauerit pulcherrimum filium eius bona
accipimus opera quae hostili gladio conciderunt. Et fortes quosque perris
se in praelio quia iusticia iusti non liberabit eum in quacumque die aberra
uerit. Sin autem sequamur historiam ex his sermonibus docebimur non de mu nf. d.
lieribus prophetae esse sermonem quarum uiri in praelio corruerunt sed de ur
bibus iudeae quas filias syon appellauit et quarum bellatores ceciderint
in certamine. Denique de eadem syon sequens uersiculus loquitur. Et me ss
rebunt atque lugebunt portae eius et ipsa urbs desolata sedebit in terra
quod usque hodie oculis cernimus. Facilis secundum tropologiam interpreta
tio est quod quicumque locum dederit diabolo et non omni custodia seruaue
rit cor suum lugeant portae eius et absente sponso semper in luctu sit.